

Ad confirmationem respondetur, quod secundum D. Thomam Angelus est in loco, non solum per motionem corporis, sed quocumque modo operetur in illo, vel uniatur illi, aut præsideat illi: sed tamen si præsideat sine aliqua operatione erga corpus, qua tangit illud, solum habebit præsentiam ordinis, et in actu primo, quæ pertinet ad illud dictamen practicum quo Angelus ordinat se erga aliquem locum. Si autem præsideat operando aliquid applicate, et in exercitio erga locum, erit in illo per positivum contactum et præsentiam formalem; et similiter si uniatur illi unione aliqua passiva, per quam existit modo præternaturali in loco. Et ad id quod dicitur de approximatione, seu conjunctione ad locum antecederet ad operationem jam supra diximus, eadem operatione Angelum posse se applicare, et tangere locum et operari effectum ex illo, et in illo. Quod habet Angelus propter eminentiam suam, et superioritatem erga corpus ad quod non habet contactum, nisi per modum virtutis activæ, non subjectæ corpori, neque dependentis ab illo, ita ut prius indigeat illi commensurari, et applicari quam operari. Itaque conjunctio, et applicatio agentis ad passum tunc antecedit operationem ejus, quando fit per commensurationem, et coaptationem quantitativam agentis cum passo, et tunc sequitur operatio, quando vero agens est omnino superius ad passum, ita quod non indiget illi commensurari per quantitatem, tunc non prius unitur quam operetur, sed ipsa operatione, subjicit sibi passum, et ex illo elicit effectum.

XIV. Ultimo arguitur contra ultimam conclusionem, quia Angeli possunt fundare distantiam, et propinquitatem, etiam ratione sui: ergo non solum habent ubi, et præsen-

tiam per modum actionis aut passionis, sed per modum distantiae aut indistantiæ. Antecedens probatur: nam si sint duo Angeli, alter in cælo, alter in inferno, plus distant, quam duo existentes in aere, et non solum ratione corporum, cum ipsi independentes sint a corpore: ergo per seipsos. Cujus etiam signum est, quia si Angelis sic existentibus annihilarentur omnia corpora, magis distantes manerent Angeli, qui antea erant in cælo, et in inferno, quam qui erant in aere: ergo ratione sui capaces sunt hujus distantiae, alias non posset Deus destruere corpora, nisi destrueret Angelorum ubi et præsentiam.

Confirmatur, quia si Angeli ponerentur a Deo extra totum mundum visibilem, vel crearentur ante mundum visibilem, non essent substantiæ immobiles, alias dependerent in motu a natura corporea. Si autem moverentur, aliquid deberent acquirere per motum, quod non posset esse nisi aliqua distantia, vel propinquitas: ergo sunt capaces ubi distantialis.

Respondetur Angelos illos non fundare distantiam in se immediante, sed mediante corpore, aut spatio in quo sunt, quia sicut in se positionem non habent in loco, ita neque distantiam, aut propinquitatem, quæ positionem aliquam, seu situationem importat. Solum ergo ratione corporis, cui assistunt, distantiam fundare possunt positivam, et formalem, vel ratione spatii distantiam imaginariam. Et hoc modo dicerentur magis distantes Angeli, qui sunt in cælo, et inferno, quam qui sunt in aere. Si autem annihilarentur omnia illa corpora interjacentia, non manerent illi Angeli distantes, vel propinqui positiva distantia, sed negativa, ratione spatii vacui, seu imaginarii, quod maneret, ratione autem sui unus Angelus

non distat, neque indistat ab alio, sicut Angelus se extendens ad totam suam sphaeram non dicitur secundum unam partem, qua correspondet multis partibus sine positione ad partes, sicut anima existens in pede non distat a seipsa ut existente in capite, cum tamen pars unius, et ejusdem corporis distet ab alia, sic duo spiritus non sunt capaces distandi inter se ratione sui, sed ratione corporis quod tangunt, vel spatii in quo remanent, non quia ipsi dependeant a loco, ut sint, sed ut tangentes sint, quia non possunt contactum habere, si nihil tangunt.

Ad confirmationem respondetur, quod Angeli extra omne corpus positi non sunt mobiles motu contactus virtualis, et consequenter, nec possunt acquirere ubi ob defectum materiæ, circa quam sit contactus, sicut si non essent corpora, animæ non essent informantes, nec modo informativo ob defectum materiæ. Posset tamen unus Angelus tunc agere in alium actione morali, vel illuminativa, et ex consequenti detinere illum per imperium practicum formando, et excitando in illo tam vehemens dictamen per imperium suum, ut non auderet, vel non posset inferior Angelus moveri ex defectu dictaminis ad se movendum, impeditus ex imperio alterius.

ARTICULUS III.

Utrum repugnet Angelum esse in pluribus locis, vel plures in uno?

Sub hoc titulo comprehendimus omnes difficultates, quæ pertinent ad modum quo Angelus existit in loco, quæ reducuntur ad quatuor.

Prima, utrum Angelus ita sit in loco quod possit modo esse in majori, modo in minori pro sua voluntate, an vero habeat modum uniformem essendi in loco, ita quod semper eodem modo in loco sit, sicut corpus, quod ratione quantitatis commensuratur loco, non potest prohibito collocari, modo in majori, modo in minori, nisi juxta intensiorem quantitatis.

Secunda, utrum Angelis possit simul esse in diversis locis adæquatis.

Tertia, utrum saltem in pluribus inadæquatis esse possit intra eandem, videlicet sphaeram suæ virtutis.

Quarta, an plures possint esse in eodem loco, an vero repugnet pluribus Angelis identitas loci, sicut pluribus corporibus.

ANGELUS POTEST ESSE IN MAJORI, VEL MINORI LOCO INTRA EANDEM SPHÆRAM.

I. Communis theologorum sententia est, Angelum intra sphaeram suæ virtutis non coarctari ad existendum in loco determinato, sed posse esse in majori, licet Vasquez in præsentis disputatione cxci, cap. i ex Gregorio referat opinionem cujusdam Hibernici in i, distinct. viii, quæst. ii, qui dicebat Angelum ita postulare sibi determinatum locum, ut neque in majori, neque in minori esse posset: imo dicebat locum Angeli esse circularis figuræ. Quod si Angelus aliquando assumit corpus minoris quantitatis quam possit, dicebat substantiam illius, aliqua ex parte esse extra tale corpus. Et eandem sententiam tribuit Bassoli in ii, dist. ii, quæst. iv, art. i, præsertim in solutionibus argumentorum; Scotus vero in ii, distinct. ii, quæst. vi, §. De isto articulo dixit Angelum ha-

berelocum determinatum versus maximum, ita quod non posset esse in minori, licet paragrapho sequenti fateatur rem hanc esse dubiam. Alii existimant Angelum habere determinationem loci versus maximum, non tamen versus minimum, sed posse esse in minori, et minori in infinitum. Pro qua sententia Vasquez citat plures antiquis, Bonaventuram Gabrielem, Majorem, Marsilium, et alios. Ipse autem Vasquez ibidem capite secundo, sentit habere quidem terminum quoad maximum, existentiam Angeli in loco, et posse in minori collocari; esse vero incertum utrum versus minimum habeat aliquem terminum, an vero possit esse in minori vel minori loco in infinitum.

II. Sensus autem D. Thomæ manifestus est in hac quæstione LII, art. II, ubi inquit, quod: « Non est necesse quod Angelo determinetur unus locus indivisibilis secundum situm, sed vel divisibilis, vel indivisibilis, vel major, vel minor secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus majus, vel minus; et sic totum corpus cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus. » Ex quo duo deducuntur, in quibus communiter auctores conveniunt; in uno vero est major difficultas.

Primum est, quod cum virtus Angeli sit limitata, non potest esse in quocumque loco quantumvis maximo, sed in loco finito, et determinato: alioquin esset ubique si determinatum locum non haberet, quod esset incidere in opinionem Durandi supra rejectam de existentia Angeli ubique.

Secundum est, quod intra illam sphaeram cui potest Angelus assistere, non cogitur semper toti illi loco præsens esse, et illum tangere, sed posse in minori intra talem sphaeram. Quam sententiam non so-

lum discipuli D. Thomæ communiter, sed etiam alii auctores supra citati præter Hibernicum, et Bassolium sequuntur. Et convincuntur ad hoc, tum exemplo animæ rationalis quæ aliquando informat corpus minus, aliquando majus intra suam sphaeram; et tamen quando informat minus corpus, non collocat substantiam suam extra illud in aliquo loco sibi correspondente, ut impleat totam suam sphaeram, si quidem anima non potest esse nisi informando, vel separata; modo autem separata non est cum informat corpus nostrum. Extra illud autem non informat aliud corpus, nec est extra illud tamquam separata, quia unita est corpori, nec partim unita, partim separata cum careat partibus. Eadem ergo substantia animæ modo est in minori corpore, modo in majori: ergo similiter poterit Angelus esse. Sicut etiam, quia corpus Christi est in eucharistia ad modum spiritualis substantiæ, modo correspondet minori hostiæ, modo majori. Ex Scriptura etiam colligimus fuisse in uno homine legionem dæmonum Marci V, et Lucæ VIII, et similiter septem dæmonia de Maria Magdalena exiisse: quod stare non potest nisi spiritus in minori parte corporis essent quam secundum se esse possint, cum aliquando unus Angelus in majori corpore appareat. Nos autem colligimus locum Angeli majorem vel minorem ex corporibus in quibus manifestantur.

III. Difficultas est in duobus. Primo, in reddenda ratione quare Angelus possit esse in minori parte, seu loco quam possit esse intra suam sphaeram. Secundo, an possit esse in loco indivisibili. Nam circa primum, qui sentiunt Angelum esse in loco per suam substantiam, vel per aliquod ubi, seu modum intrinsicum antecederent ad omnem operationem, et contactum Angeli dif-

ficile possunt reddere hujus rei rationem, quia substantia non potest mutari in quantum substantia est, ita ut modo correspondeat majori spatio, modo minori. Ipse autem modus, seu ibi intrinsicum non potest modo esse majus, modo minus, nisi detur aliqua causa, et principium fundans talem mutationem: hoc autem non potest fundari in ipsa substantia secundum se sumpta, quia substantia de se est indifferens ut sit in majori, vel minori loco: ergo oportet aliquid superaddere quod talis varietatis sit ratio, et fundamentum.

IV. Nec sufficit assignare pro causa hujus majoris vel minoris præsentiae ipsam voluntatem Angeli tantum, ut assignat Suarez libro IV de Angelis, cap. XI. Nam voluntas est quidem sufficiens causa effectiva motus, et applicationis Angeli ad locum, non tamen potest ipsa pro sua libertate immutare modum quo res aliqua assistit in loco, sicut nos etiam libera voluntate movemur ad loca, non tamen possumus in minori, aut majori loco esse pro nostra voluntate, sed debemus accommodare nos loco juxta modum extensionis et commensurationis ad locum. Si autem possemus in majori vel minori loco pro nostro arbitratu constitui, deberet in ipso corpore assignare ratio aliqua, seu commensuratio, ratione cujus posset modo majori loco correspondere, modo minori. Cum ergo Angelus ita possit existere, oportet præter voluntatem, quæ est causa effective applicans virtutem motivam Angeli assignari ex parte ipsius Angeli rationem, per quam est habilis ad existendum in majori, vel minori loco.

V. Nec sufficit pro ratione hujus assignare ipsam indivisibilitatem substantiæ Angeli ut assignat Arrubal: hoc enim est commune omni-

bus Angelis quod habeant indivisibilitatem, et tamen unus potest occupare majorem locum quam alius, quod non potest provenire nisi ex aliqua majore virtute, seu ratione positiva: nam indivisibilitas, quæ est negatio quantitatis æqualis est in omnibus. Similiter stante eadem indivisibilitate in uno Angelo potest modo esse in majori loco, modo in minori: ergo oportet assignare rationem unde illa indivisibilitas sic potest variare modum præsentiae, et non eandem semper habere, cum tamen indivisibilitas, seu carentia quantitatis eadem omnino sit. Nec denique ipsum ubi, seu modus præsentiae, aut unionis potest esse ratio, et fundamentum hujus diversitatis: nam hoc est quod inquirimus ex quo principio proveniat, quod istud ubi aliquando sit majus, vel minus, id est, majori loco, vel minori correspondeat, vel etiam ipsa unio ad corpus, cur modo sit ad tantum corpus, modo ad minus. Dicere ergo quod ratio, et principium hujus est ipsum ubi, est petere principium quia de hoc inquirimus.

VI. At vero in sententia D. Thomæ facillime assignatur ratio, et fundamentum ex parte Angeli, quare possit esse in majori, vel minori loco intra suam sphaeram, nimirum, quia contactus Angeli est contactus formæ agentis, et virtutis ejus ad passum in quantum illud sibi conjungit, ut ex ipso, vel in ipso incipiat aliquid operari, ita quod ex illo educat aliquem effectum per virtutem suam. Et cum virtus ista sit pure activa, et non quantitativa, seu in quantitate existens, non prius applicatur quam agat, sed agendo applicatur, ut supra diximus, quia in agendo non dependet a commensuratione quantitativa cum passo, tamquam a conditione requisita, sed est virtus subjiciens sibi passum ad operandum ex illo. Non autem subjicit

illud sibi informando sicut anima nostra, sed operando, et agendo ex illo, ita quod eadem operatio Angeli propter eminentiam suam, quia est actio virtutis liberæ, et impendentis a conditionibus, et quantitate corporis, non aliter commensuratur corpori, quam subjiciendo illud sibi, non autem prius se illi commensurando per aliquod accidens, non activum, sicut corpus per quantitatem applicatur, et commensuratur corpori prius quam agat. Et quia non est in manu agentis corporei dilatare, vel coarctare istam quantitatem per quam est in loco, ideo non potest esse in loco majori vel minori, nisi juxta exigentiam suæ quantitatis: Angelus autem non supponit aliquod accidens, vel aliquam rationem antecedentem ad suam virtutem, per quam commensuretur loco, sed primus, et immediatus contactus Angeli ad corpus est per ipsammet virtutem activam, ut subjicientem sibi tale passum, et quia virtus activa non subjicit nisi operando, oportet quod ipsa operatio habeat duo officia, et facere effectum ex subjecto, et subjectum ipsum sibi conjungere, et subjicere quatenus ex illo vult operari, et hoc munus est prius quam ipsa productio effectus. Virtus autem Angeli operatur ex directione voluntatis, quæ potest applicare illam, et moderari, seu temperare ad tantum, vel tantum effectum, et consequenter potest applicare virtutem ad tantum, vel tantum passum, prout voluerit circa illud, vel ex illo operari.

VII. Circa secundum vero, quod in hac parte facit difficultatem, videlicet an possit Angelus se constituere in indivisibili, non solum in superficie, vel linea, quia ista simpliciter habent partes, et indivisibilia sunt, licet quantum ad aliquid indivisibilitatem habeant, sed etiam

in puncto quod est omnino indivisibile, Vasquez hic disp. cxcii, c. ii tenet cum Scoto in ii, dist. ii, q. vi, §. Ad propositum nihil in hac re compertum esse, et fundamenta S. Thomæ qui tenet Angelum esse in loco per contactum operationis infirma esse ad probandum posse Angelum esse in puncto, quia non potest virtus Angeli aut operatio ejus recipi in puncto, neque per punctum posse derivari, et communicari virtutem Angeli in reliquo corpore: ergo non potest Angelus poni in puncto ratione operationis suæ, quia punctum non est capax talis operationis.

Nihilominus expresse D. Thomas in hac quæstione LIII, a. ii affirmat locum Angeli posse esse divisibilem et indivisibilem. Idem affirmat in I, dist. xxxvii, q. iii, art. ii, et hoc probatur, quia ex parte Angeli nulla est dependentia a partibus continui, et ex alia parte potest aliquis effectus ejus terminari ad punctum: nihil enim inconvenit quod possit aliquod corpus tangere aliud in puncto, et moveri per puncta, ut est communis casus in philosophia, si corpus perfecte sphericum tangat perfecte planum: inde enim probatur dari indivisibilia in sexto physicorum, quia talis globus tangeret perfecte planum in indivisibili, et moveretur ex parte, quia tangeret planum motu discreto saltando partes, et solum tangendo indivisibilia: sed dari talia duo corpora, scilicet perfecte sphericum, et perfecte planum non repugnat sive per naturam, sive per artem, et operationem ipsius Angeli, sive etiam ab ipso Deo immediate: ergo non repugnat tunc etiam Angelum uniri illi corpori spherico, et movere illud majori velocitate, vel minori per illud corpus planum tangendo id in quo fit motus, vel contactus corporis spherici: ergo si solum tangit in puncto,

to, solum Angelus constituet se in puncto: ergo non est cur negamus quod Angelus possit se constituere in puncto, et movere in puncto, si id potest corpus. Præterea non repugnat quod Angelus possit designare aliquod punctum in loco, vel in lapide, et illud extrahere, seu corrumpere ut resultet aliud punctum loco illius: ergo poterit tunc applicari soli puncto, et in illo operari aliquem effectum, vel extrahendo illud, vel designando, aut aliquid simile, vel etiam movendo corpus motu aliquo discreto sicut movetur corpus ipsum, quando est perfecte sphericum in perfecte plano.

VIII. Quare pro hac parte stabilienda non est necesse plures rationes multiplicare, nec illam difficultatem decidere, an possit Angelus diffundere virtutem, vel operationem in corpus, incipiendo a puncto, aut etiam motum imprimere partibus per punctum. Quidquid enim sit de hoc, sufficit nobis contra Vasquez evidenter ostendere quod non repugnet fieri motum in puncto, saltem discretum, sicut potest ab ipso corpore fieri: eodem enim modo non repugnabit Angelo illum facere; et tunc si corpus movetur in puncto, et ad motum illius omnes partes moventur, quia totum illud corpus sphericum mutatur de loco ad locum, quid prohibet quod etiam Angelus moveat idem corpus, taliter quod ex puncto incipiat motus, et diffundatur ad partes, sicut quando globus tangit planum in puncto omnes partes ejus moventur?

Quare ad fundamenta Vasquez quæ solum petunt quem effectum possit Angelus operari in puncto, ex dictis manet plene responsum, quia jam assignavimus, quid possit operari, scilicet illum motum.

ANGELUS NON POTEST ESSE SIMUL IN PLURIBUS LOCIS ADÆQUATIS.

IX. Circa secundam difficultatem initio articuli propositam, sententia D. Thomæ est, quod unus Angelus non potest esse in pluribus locis sibi adæquatis, quod omnino certum est, supposito quod Angelus habeat limitatam virtutem, et efficiaciam, seu rationem existendi in loco: nomine enim adæquati loci intelligimus maximum locum quem potest tali virtute vel ratione attingere. Unde si est maximus, in quem potest? Non potest in vi naturalis virtutis in alio extra illum sive adæquato sive inadæquato existere. Quæ ratio in omnium sententia procedit: nam sive substantia Angeli, sive unio ad corpus, sive modus aliquis præsentia, sive ipsa operatio sit ratio existendi in loco, constat quod quidquid ponatur, totum est finitum: ergo debet habere terminum, quod adæquetur talis finita ratio, et consequenter ex vi illius rationis non potest ultra illam adæquationem seu terminum existere: ergo idem est existere in pluribus locis adæquatis, atque excedere terminum adæquatum suæ limitatæ virtutis. Si autem hoc semel potest excedere, non restat aliqua ratio unde limitetur, et sic poterit esse ubique.

X. Difficultas vero est respectu potentia Dei absolutæ, an possit Angelus existere ultra locum adæquatum naturalem extendendo virtutem contactivam taliter, ut sine ulla additione substantia ultra proprium, et adæquatum locum excurrat: hæc enim addi non potest, cum sit indivisibilis, et partes non admittat, quæ sequuntur materiam. Si autem adderetur Angelo virtus ultra limitationem naturalem, quam

de se habet, jam inciperet pro loco adæquato habere majorem sphaeram, quam antea habebat. Et sic nunquam videtur verificari quod Angelus sit in duplici loco adæquato formaliter loquendo, si existit in loco per virtutem operativam, bene tamen in duplici loco materiali, id est, in eo quod antea erat locus adæquatus naturali limitatione suæ virtutis, et ultra illum in alio, qui sibi convenit per virtutem superadditam: sed tamen supposita ista additione, et augmento virtutis jam sibi convenit pro loco adæquato aliquid amplius, quam antea. Unde hac suppositione facta mutatur terminus adæquatus loci angelici, et incipit habere novam sphaeram, et terminum, et positio intra illum erit intra locum adæquatum, intra quem poterit esse in minori, qui inadæquatus erit termino, quem nunc habet supposita additione virtutis, licet respectu virtutis minoris, quæ antea erat, adæquatus fuerit. Si autem non fiat aliqua additio virtutis, vel operationis secundum quam potest habere contactum ad locum, sed maneat eadem, quæ antea erat, non poterit per modum operationis esse in alio loco, quam qui tangitur a tali virtute.

XI. Quare unico verbo respondetur, quod in nostra sententia de existentia Angeli in loco mediante contactu virtuali operationis non potest Angelus esse in duplici loco adæquato formaliter, id est, in aliquo loco ultra terminum, qui sibi competit ex virtute contactiva naturali, vel superaddita a Deo; bene tamen potest esse ultra locum adæquatum suæ propriæ, et naturali virtuti si illa a Deo augeatur: nulla tamen superaddita virtute, non poterit Angelus esse in aliquo loco ultra adæquatum terminum suæ virtutis, quam habet. Patet hoc, quia con-

tactus iste, de quo loquimur, est contactus operativus, qui necessario fit per virtutem aliquam, et operationem procedentem ab ipso Angelo: ergo si talis virtus non superaddatur, non poterit habere contactum operativum ultra terminum proprium. Si autem non potest ultra illum operari, neque potest tangere, quia tangere est operari. An vero possit esse in duplici loco, in uno per actionem connaturaliter, in alio per passionem præternaturaliter, non apparet aliqua implicatio, ut dicemus in solutione argumentorum, sicut corpus potest esse quantitative in loco per modum connaturalem, et indivisibiliter seu sacramentaliter in alio loco, ut contingit in corpore Christi.

XII. Sed objicies: Nam repugnat Angelum sine additione virtutis poni in alio loco a Deo: ergo potest esse in duplici loco formali adæquato. Antecedens probatur, quia Deus potest quod ignis, qui calefacit hic, calefaciat Romæ, nulla superaddita virtute: ergo etiam poterit facere, quod Angelus qui operatur hic, operetur in cælo, nulla virtute superaddita; sed per se Angelus habet contactum ad locum per operationem: ergo poterit habere contactum ad illum duplicem locum, ubi operatur, sine additione virtutis. Ubi autem habet contactum Angelus, etiam habet præsentiam localem: ergo potest esse in duplici loco adæquato formaliter.

Confirmatur, quia Angelus potest esse in loco per passionem, sicut per operationem: ergo poterit Deus facere, quod Angelus patiat in inferno, et operetur in cælo; et sic utrobique erit ejus substantia secundum diversas rationes existendi in loco.

XIII. Secundo arguitur ex alia parte: Quia repugnat Angelum esse in pluribus locis adæquatis, etiam

materialiter, et ultra sphaeram quam naturaliter habere potest, etiam per additionem virtutis: quia virtus addita de novo non affert novam additionem substantialem: nec enim se habet sicut quantitas corporea, quæ si superadditur, affert secum novam partem materiæ, ut sibi correspondeat: ergo non potest illa virtus superaddita collocare substantiam Angeli in loco distincto, alias posset Angelus, vel anima ubique existere, quia sine additione substantiæ potest eadem manens in aliis locis sine termino poni solum per additionem virtutis.

Confirmatur, quia virtus superaddita ad virtutem naturalem Angeli solum potest esse instrumentalis, quia per illam movet Deus Angelum, ut operetur in loco, ubi naturaliter non potest: sed virtus instrumentalis Dei æque potest agere in propinquum et remotum: ergo ex vi illius compatitur distantiam, seu absentiam Angeli quando operatur in rem distantem: ergo non potest esse ratio habendi contactum seu præsentiam in loco.

XIV. Ad primum respondetur, quod bene potest Deus facere quod virtus Angeli hic existens operetur in cælo, sed non æque immediate atque hic, nisi addatur distincta virtus per quam inde etiam incipiat operari immediatione suppositi, sicut hic: sicut etiam ignis existens hic potest operari Romæ, ubi non existit, non tamen operabitur Romæ immediate suppositi, nisi ibi collocetur a Deo tamquam in loco, sed solum dicitur operari Romæ, quia ponit ibi calorem sine transitu per aerem medium: et hoc ideo est, quia immediata applicatio, seu operatio immediatione suppositi non est quæcumque operatio agentis, sed illa unde primo egreditur motus ab agente, et passo. Non potest autem duplex operatio æque primo, et

immediate oriri ab aliquo agente ex duplici passo distante, supposito quod tota ejus virtus adæquatur isti loco, et non additur illi major virtus, ut alteri etiam loco assistat, tamquam ad sphaeram suam pertinente, ita ut etiam ab illo æque primo incipiat. Quare si virtus divina facit ut operetur Angelus in loco distante ultra propriam sphaeram, sine additione novæ virtutis, ille effectus erit mediatas, perinde ac si virtus Angeli per diffusionem sui tangeret illum locum: id autem quod Deus supplet est, ut sine diffusionem virtutis per medium operetur Angelus hic existens in loco remoto. Constat autem, quod substantia Angeli non collocatur in loco per virtutem diffusam, sed ut primo operantem, et egredientem ab ipso agente: potest enim diffundi virtus, et effectus Angeli, etiam ultra locum, ubi est ejus substantia. Sed si illi superaddere-tur tanta virtus, ut posset immediate incipere suam operationem a majori sphaera, ita ut inciperet ab eo loco in quo nunc est, et ab alio qui sibi ante erat distans, tunc non repugnabit, quod Angelus sit etiam in illo loco per suam substantiam, quia tunc haberet majorem sphaeram.

XV. Ad confirmationem respondetur, nullum esse inconveniens quod Angelus sit in duplici loco divinitus, in uno connaturaliter, et per operationem, in altero prænaturaliter, vel supernaturaliter per passionem. Neque hoc est contra D. Thomam, quia solum loquitur de duplici loco connaturali, et de existentia in loco per operationem: sicut etiam in corporibus non repugnat quod per unam rationem formalem, v. g. per circumscriptionem sit corpus in uno loco, et in alio per modum sacramentalem. Et similiter si vellet Deus convertere substantiam panis hic existentem in